



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

IV. De suscipienda cura monasteriorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

quæ sua liberalitate honoratæ atque ditatæ fuerunt, de cetero sub integritate sui seruentur. Et sacerdotes, ac serui & ancillæ Dei, vigorem ecclesiasticum, & debita priuilegia, iuxta reuerendam auctoritatem obtineant: eisque regalis potestas, & illustrium virorum strenuitas, seu reipublicæ administratores, vt suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter & iuste concurrant.

## IV.

Vt missi regii per ciuitates, & singula monasteria tam canonicorum, quam monachorum, siue sanctimonialium, vna cum episcopo parochiæ vniuscuiuscumque in qua consistunt, cum consilio etiam & consensu ipsius qui monasterium retinet, vitam ibi decentium & conuersationem inquirant, & vbi necesse est corrigant, & vbi defunt, congruas officinas construere iubeant, & vbi factæ & per negligentiam sunt destructæ, instaurari præcipiant, & victum ac potum, & vestitum, atque cetera necessaria, pro qualitate & possibilitate loci, & inhabitantium necessitate ordinent, & hospitalitatem superuenientium hospitum, & receptionem pauperum ibidem disponant & ordinent: & thesaurum, ac vestimenta, seu libros diligenter imbreuient, & breues regi reportent. Imbreuient quid vnuquisque ecclesiarum prælatus, quando prælationem ecclesiæ suscepit, ibi inuenerit, & quid modo exinde minus sit, vel quid & quantum sit superadditum. Numerum etiam canonico- rum, & monachorum, siue sanctimonialium,

<sup>ANNO CHRISTI  
881.</sup> vniuersusque loci describant, & regi referant: secundum qualitatem & quantitatem loci, cum consilio episcoporum & fidelium suorum, vbi minor numerus fuerit, regia auctoritate addatur: vbi vero indiscretione prælatorum superfuerit, ad mensuram redigatur. Et qualiter abbatiarum prælati, & in locis sacris inhabitantes, de his quæ missi regii præceperint, obedierint, regi diligentissime & capitulatim referre procurent.

## V.

Raptore autem, non nostris verbis, sed Christi & sanctorum eius, qui cum illo in cælo regnant, & in terris miraculis coruscant, auctoritate ipsius qui nobis licet indignis in apostolis suis dixit: *Quæ-* <sup>Matt. 18.</sup> *cumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis: & quæ solueritis super terram, erunt soluta & in cælis,* monemus, & eis verba ipsius Domini inculcamus, quæ, nisi se correxerint, in extremo iudicio audient: *Efuriui, & non dedisti mibi mandu-* <sup>Matt. 29.</sup> *care, & cetera, quibus dicit: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Hinc ergo colligendum est, quanta damnatione plectendi sunt qui aliena rapiunt, si tanta animaduersione feriuntur qui sua indiscrete tenuerunt. Perpendant quo eos obliget reatu res rapta, si tali subiicit pœnæ non tradita. perpendant quid meretur iniustitia illata, si tanta percussione digna est pietas non impensa. Audiant raptore: *Væ ei* <sup>Habac. 2.</sup> *qui multiplicat non sua usquequo, & agrauat contra se densum lutum.* Densum lutum contra se agrauare, est terrena lucra cum pondere peccati cumula-